

mandis Ecclesiam dicit esse columnam, ac firmamentum veritatis, adeoque omne genus erroris ab ea procul abesse, etiam illius, quem materialem appellat isti, & eidem Ecclesie non verentur adscribere. Quod si facere pergunt, non est cur timeant hoc genus erroris Ecclesie tribuere in questionibus fidei. Quod tamen horrendum, & impium dictu fateri debent, nisi fidem amiserint. Sed eos cogam argumentando, qui prius illud comminiscuntur, ut ad hunc scopulum imprudentes allidant. Sic enim progrediar: ipse ille Deus, qui promisit Ecclesie immunitatem erroris in definiendis fidei controversiis, per os Pauli pronuntiat, eandem falli non posse in regula morum Christianis tradenda. Sed nihilominus eam dicit errare posse in his informandis, errore tamen innoxio, & materiali. Quid ergo prohibet, ad eum modum posse illam errare in proponendis articulis fidei? Evangelium habet, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*. Paulus affirmat, Ecclesiam Dei in moribus informandis esse columnam, & firmamentum veritatis. Si habet hic locum in generali sententia materialis error, & criminis expers, cur habere non poterit in priore illo dicto, ubi univcrse Christus expressit immunitatem erroris in rebus fidei? Ergo licebit existimare, Ecclesiam Dei, cum Verbum definit esse Patri consubstantiale, errare posse materialiter, atque adeo Verbum non esse fortasse Patri homouision; sequendum tamen Ecclesie iudicium, cui debent omnes parere Christiani. Idemque dicito de articulis ceteris. Hoc est illud profecto, quo liberior istorum Theologia spectare videtur: quos argumento convictos meo vel fateri necesse est, Ecclesiam Dei falli non posse, ubi cultum exercet religiosum, & sanctum; vel dantes manus Ecclesie inimicis, eam contendere falli posse in rebus fidei. Non peccat, inquit hæretici, Ecclesia Romana, tametsi errat in definiendis suis articulis: est enim error materialis. Non peccat, inquit isti Theologi, sed recte facit Ecclesia, ubi cultum exercet religiosum, & sanctum, esto possit errare; quippe ab errore materiali